

---



---

 SECTIO IV.

 DE UTILITATE ET PRAE-  
 STANTIA HUIUS CARMINIS.

**Q**uae sit huius carminis praestantia, uniuerse quidem satis iam declaratum esse puto, sed quoniam nimis humiliter de eo iudicarunt quidam, neque suo pretio aestimatum esse videtur, vindicandus mihi est poeta meus, et defendendum editionis quod suscepi consilium. Pauwius inprimis, qua erat ingenii seueritate, scholasticum iudicat et elumbem Quinti stilum, adeo verbosum ut, si otiosa et superflua tollas, tertia pars decedat operi; multa flaccida esse et depressa, alia tumida et elata. (v. Praefat. ad Quint.) — Sane nimis acerbus hic fuit vir doctus, ut mireris, quomodo editione dignatus sit scriptorem, de quo adeo abiecte sentiret. Quid verum sit in hoc iudicio, patere arbitror ex iis, quae supra Sect. II. a me sunt monita, quare nolo refutando immorari. Longe aliter de nostro senserunt alii, iique summi in arte critica viri. Multis eum praedicat Const. Lascaris praefat. ad Quint. Cod. Matritensi I. Idem Homericissimum Quintum dixit apud Laurentium Crassum (Storia dei poeti greci p. 436.) Freigius in epistola nuncupatoria, Quinto praefixa, alterum Homerum vocat; s) Barthius inprimis valde honorifice de Quinto

s) Sic. Freigius; Κάλαβρος ἔδέν τῆς αὐτῆς (\*Ὅμηρος) περὶ τὸ ποιεῖν δεινότητος τε καὶ ευφύχης ἀπέλειπε, ὥστε εἶναι ἕτερον ἀληθῶς Ὅμηρον αὐτὸν φάναι.